




271 3000

Nf 16.0



ORATIO IVBILAEA 3
DE
REFORMA-
TIONE ACA-
DEMIARVM
EVANGELIO DIGNA,

PER
B. D. MART. LVTHERVVM
COEPTA ET POSTERIS COMMEN-

DATA :

QVAM

IPSO ANNO ECCLESIAE EVANGE-
LICAE IVBILAEQ,

NIMIRVM MDCCXVII, DIE XII. IVL.

CVM ANNVVM ACADEMIAE FRIDE-
RICIANAE REGIMEN

SVCCessori ESSET TRADITVRVS,

IN SOLENNI PANEGYRI

HABVIT,

ET NVNC LVCI PVBLICAE EXPOSVIT
AVGVSTVS HERMAN. FRANCKIVS,

S. THEOL. PROFESS. ORDIN. PAST. VLRICIANVS ET
GYMNASH SCHOLARCHA.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEL. MDCCXXI.

ORATIO IVBILAEA

DE

REFORMA

TIONIS ACADEMIAE

DEMIARVM

EVANGELIO DOMINI

IN DIE PASCHAE

CONSTITUTIS

IN DIE PASCHAE

ANNO DOMINI

MDCCCXXXIII

IN DIE PASCHAE

IN DIE PASCHAE

IN DIE PASCHAE

IN DIE PASCHAE

IN DIE PASCHAE



que il
sis Jul
Quar
giofa
soluo
proxim
gnacu
meus
Idcirco
firmi
profr
xime
stratic
hoc i
qui h
lo mu
Eten
varia
non
hi no





Factus tandem, Auditores
omnium ordinum honoratissimi
dilectissimi que, annus est, quo in
Fridericiana nostra officio Pro-Re-
ctoris fungendum mihi fuit, at-
que illuxit exoptatus ille dies duodecimus men-
sis Julii, qui illo me iam leuat onere liberatque.
Quare nunc ante omnia gratias Deo, quas reli-
giosa mente concipere possum, maximas per-
soluo, qui, ut superioribus omnibus, ita etiam
proxime elapso anno fuit *petra mea, & propu-
gnaculum meum, & liberator meus, Deus fortis
meus, & salutis mea cornu, locus meus excelsus.*
Idcirco *ex intimis visceribus diligam te, Jehovah,*
firmitas mea. Me autem & publice nunc, &
prorsus ex animo, cum alias semper, tum ma-
xime in ista, quæ subeunda mihi fuit, admini-
stratione rei Academicæ seruum inutilem, immo,
hoc ipso nomine vix dignum profiteor, utpote
qui haud sustineam gloriari, ea me in arduo il-
lo munere præstitisse, quæ præstare debuissim.
Etenim hoc, illud effectum non dedi propter
varia obstacula externa; aliqua non potuerunt
non omitti ob reliqua gravia, quæ imposta mi-
hi nostis, officia, & coniuncta cum iis negotia
inveni-

ineuitabilia; quædam etiam valetudinis infirmitas ex occupationum multitudine ac mole orta, & subinde, tempore præsertim hyberno, grauius me affligens (quam tamen superatam gratissima erga Deum mente iam nunc lator) impediuit. Quodsi nihilominus opera mea non inutilis ciuitati Academicæ exitit, minime id mihi, sed vnice Deo acceptum est referendum.

Cæterum nunc, antequam successori honoratissimo fasces tradam, liceat mihi perfrui beneficio datæ mihi occasionis, publice verba de argumento aliquo, quod e re sit Academicæ, faciendi. Istiusmodi vero dicendi materiam facile mihi subministrat anni præsentis, quæ omnium vestrum animis haud immerito obuersatur, conditio, quippe quem, submissas Deo gratias pro ingenti Reformationis beneficio habentes, *Jubilæum Reformationis Ecclesie* dicere iam consueuimus. Cum enim diuini illius negotii partem haud mediocrem ad Academiæ pertinuisse constet, de *Reformatione Academicarum* in præsentia paucis disserere, ac tum necessitatem, tum qualitatem eius, quantum in breuissimo, quod mihi præstitui, temporis spatio, fieri poterit, indicare potius, quam pro argumenti amplitudine explicare in animum induxi. Vos, *Auditores*, veritatem simplicem sermone haud fucoso exponendi copiam mihi benevole dabitis.

Extra dubium merito, *Auditores*, qui Christo nomen dedimus, omnes collocamus, vniuersam

D
uerlam
Seruato
instituo
ipsum
vniuer
vocen
lium
poenis
Pater
Rissim
Cissim
sanctu
esset s
que i
tas ex
Et,
Eccle
simun
Q
splen
qua
bere
lis,
tio?
as fr
qua
lutis
Ille
psur
ficia
tum

DE REFORMATIONE ACADEM. 5

uerſam rempublicam noſtram ad ipſius huius
 ſeruatoris ſummique Regis noſtri voluntatem
 inſtituendam eſſe, vt ita digni cenſeamur, qui
 ipſius ciues peculiarisque populus tota mente
 vniuerſisque viribus ipſi ſubiectus deditusque
 vocemur, nec, ſi alio modo nos geramus, rebel-
 lium hoſtiumque nomine ab ipſo habeamur,
 pœniſque meritis plectamur. *Omnia enim ipſi
 Pater ad dextram gloriæ collocato ſubiecti iu-
 ſtiſſimoque ſceptro regenda tradidit. Vnde ſan-
 ctiſſima nos lege ſibi obſtrinxit, vt, dum ipſe
 ſanctus eſt, nobisque a Deo ex gratia, vt noſtra
 eſſet ſanctimonia, donatus, ſancti etiam nos, id-
 que in ipſo, ſimus. Vnde Chriſtianorum ciui-
 tas ex Dei voluntate & inuiolabili eius iure ſan-
 cta, qua Deus habitat, ciuitas, ſancta Chriſti
 Eccleſia, ſanctumque corpus, cuius ipſe ſancti-
 ſimum caput eſt, appellari debebat.*

Quid vero *Academia*? Qua illas ſanctitate
 ſplendere, qua in Regem Jeſum Chriſtum fide,
 qua obſequii integritate ciues eius excellere de-
 bere exiſtimatis, *Auditores*? Quam illa nobi-
 lis, quam eximia Chriſtiane ciuitatis ſunt por-
 tio? Illæ etenim ſunt *ſchole*, quibus alumni e-
 as frequentantes, quæ ſit bonitas Regis æterni,
 quæ in populum ſuum clementia, quantum ſa-
 lutis noſtræ deſiderium ſtudiumque, docentur.
 Illæ ſunt *gymnaſia*, quibus ad omnia tum in i-
 pſum Regem obſequia, tum in ciues ipſius of-
 ficia adſueſcieri exerceriſque debent, vt non tan-
 tum Principi quam ſimillimi fiant, ſed etiam ſolida

ejium, huius pariter futuraeque vitæ emolumenta, ingenuo amore quarant. Illæ sunt *officina*, in quibus mentes iuuentutis ita sunt formandæ & instituendæ, vt grata misericordiæ vasa Christo, voluntatisque eius instrumenta prompta atque parata præstare se possint. Ad finem hunc obtinendum non tantum *ipsa doctrina cælesti* animi iuuenum ibi imbuuntur, sed *disciplinis etiam humanis*, quibus carere publicæ res sine ingenti incommodo nequeunt, instruuntur & publico vsui aptantur. Quid proinde sanctius, quid Deo gratius hominibusque salutaris vel reperiatis Academiis, vel exoptes, si hoc modo, vt æquum est, comparatas habeamus.

At longe alia cheu! Academiæ facies & olim fuit, & nostro etiam, quod doleri satis nequit, tempore apparet. Neque enim facile corruptius quidquam reperiatis, regnoque Dei repugnantius videas Academiis. Quam vulgo multos Doctores piget *de Dei bonitate* in cathedra verba facere, quam tædet Studiosos *de clementia eius salutisque hominum desiderio* audire & institui, vt, qui *eruditionis* audiunt sectatores, ignorantia voluntatis diuinæ & profano salutis suæ contemptu gloriari, sibi que eo vnice sapere videantur. *Gymnasia sanctitatis* mutata dicas in *palastras impietatis*, quibus Dei se odio impleant athletæ, omnique ipsius amore abiectato & abiecto strenue id agant, ne quid illi in ipsis placeat gratumque sit. Ita animos suos ple-

plerique fere in hac officina formare allaborant, ut nulli Deo sint vsui, nihil eius gratiæ consequantur aut possideant, ab eiusque obsequio se, quam longissime id fieri potest, subducant; ad omne vero impietatis, vitiorum, flagitiorum scelerumque genus sint expeditissimi, nihil insuper inter ipsos & ethnicorum pessimos interfit. Hinc etiam illi, qui scientiæ apparatus aliquem consecuti sunt, eo deinceps haud aliter, quam ebrius gladio, in maiorem sui aliorumque perniciem abutuntur. Hæc pro dolor! omni fere tempore (o! utinam ne nostro quoque!) fuit fundi Academiarum calamitas, hæc mentium morumque immedicabilis dissolutio & prostratio. Quis negare talia, multoque magis detestanda, de Academiis, si sanæ mentis existat, aufit? Quis non illa cum dolore de iactura gloriæ Dei, virtutis, pietatis, tranquillitatis publicæ, salutisque mortalium agnoscat? Quis ergo non etiam de remedio huic malo faciendo, si Dei hominumque amore teneatur, serio cogitet, omnibusque illud votis exoptet?

Patres certe nostri a primo Reformationis tempore eo laborarunt summis desideriis, quæque ipsorum de ea re animus esset, & verbis & opere testati sunt planissime. Præ reliquis Lutherum, cuius opera Deus in Ecclesia a corruptionibus repurganda vsus est, id ipsum probe vidisse, plurima in hanc rem grauissime ab eo dicta scriptaque euincunt. Illa vero in me-

dium hic proferre nil attinet. Memini enim, ea non neminem sub ipsum Fridericianæ nostræ ortum laudabili studio e Tomis Lutheri collegisse, & in certa redegisse capita; quæ excerpta mox etiam hic loci in lucem publicam, opera nascenti tunc Academiae convenientissima, apposito titulo: de *Reformatione Academicarum*, emissa sunt.

Non possum autem, quin testem Luthero adiungam fidei auctoritatisque eximia historicum, *Hortlederum*, qui in libro de *Causis belli Germanici*, quid eo tempore in solennibus actum comitiis, quid a Principibus cunctisque, qui vocantur, Statibus Evangelicis publice sit propositum, memoriæ prodidit. Inter cætera vero illud inprimis memorabile, quod Principes ac Status anno quadragesimo primo seculi decimi sexti sic ad Cæsarem, Carolum Vtum scripsisse refert: (*l. i. c. 37. pag. 385. 386.*) Es be dürfen auch die Vniuersitäten zu dieser Zeit zweyerley Besserung, nemlich in der Lehr und Sitten. Von der Lehr sollen die Berständigen und Gelehrten an iedem Ort, gute Ordnung machen, daß die Jugend nicht allein zu weltlichen Künsten, sondern vor allen zu Gottes Erkentnis und Christlicher Lehr gehalten werde; item, daß sie nügliche Künste lernen, und die rechte philosophie, nicht die unnüß-verwickelte Sophistery, dadurch gute ingenia versäunet, verwirret und verderbet werden. Aber die reformation der Sitten

Sitten belangend, kan man ohne Hülff der Obrigkeit nichts fruchtbares ausrichten. Denn soll dem Muthwillen im jungen Volck gesteuert werden, so muß es wiederum in eine Furcht gebracht werden durch ernstliche Strafe. Denn die Jugend dieser Zeit ist so wild worden, daß sie sich mit Worten und Geboten allein nicht will regieren lassen. Darum muß man auf eine andere Weise gedencen, daß die Jugend in ein eingezogenes, stilles, züchtiges Wesen gebracht werde, daß sie auch zur Gottesfurcht, mit beten, Predigt-hören und dergleichen Christlichen Übung gewöhnet werde.

At enim dixerit forte aliquis, iam confecisse Lutherum sua ætate hoc quidquid est negotii, eumque Academias ita mutatas ante obitum vidisse, vt tunc quidem nil posset amplius, quod ad florem earum pertineret, desiderari.

Nil equidem, *Auditores*, derogandum puto laudibus tanti viri, in quo ego characteres Abrahamicæ fidei, masculæ sane & vsque quaque imperterritæ, dexteritatis incomparabilis, animi aperti ac simplicis, candorisque integerrimi non sine ingenti admiratione intueri soleo. Præstitit vtique, quantum præstare, nisi Deus cum eo fuisset, neutiquam potuisset. Id quod vtut aduersarii alique, præconcepitis imbuti opinionibus, in eo non agnoscant, agnoscent tamen mecum facile omnes, qui in

rei veritatem, non partium, sed veritatis studio ducti, inquirere haud grauabuntur. Interim, licet ille lumen verbi diuini, dispulsis scholasticorum tenebris, in Academias intulerit, atque illo ipso etiam, tanquam genuino Spiritus S. gladio monstra plurima debellauerit, ac posteris viam, qua emendanda res christiana, praesertim Academica, esset, patefecerit: ipsam tamen reformationem Academiarum eum haud perfecisse, sed posteris continuandam & prosequendam reliquisse, suisque de corrupto Academiae statu querelis immortuum esse, res ipsa loquitur. Atque id ipsum ex abundanti & luculentissime factum illud singulare comprobatur, quod non ita diu obitum eius antecessit. Non aduersariorum vis ac multitudo, non anathemata Pontificis, non imperantium comminationes heroicum viri animum fregerant; neque lues ipsa pestifera eum Witteberga, aliis licet abeuntibus, ipsaque Academia Jenam translata, amovere potuerat; verum Academicorum & ne discantium quidem tantum, sed etiam docentium peruersitas & corruptio ita fregit eum atque fatigauit, ut Witteberga discederet, & ut extra academiam id, quod reliquum vitae esset, consummare statutum cum animo & deliberatum haberet. Atque hoc certissime exsecutus esset, nisi ab ipso Electore, quem academiae Wittebergensis Professores litteris supplicibus eo adduxerant, fuisset

1719. Anno diebus mensibus

1719. A.

DE REFORMATIONE ACADEM. II

isset reuocatus; cui, ceu magistratui suo, re-
fragari impium ducebat. En! quam belle Lu-
thero satisfecerit status academiaram, quid di-
cam academiaram? suae ipsius, cui tanto tem-
pore lumen Euangelii praetulerat, academi-
ae facies, & tunc quidem, cum morti iam satis
vicinus esset, quippe quae anno sequente Isle-
biae subsecuta est. Num autem eam, quae ad-
huc animo sedit, sententiam, antequam e vita
migraret, mutasse legitur? Num academias
vsquam testatus est, iam, se superstiti, eas tan-
dem existere, in quibus aut nihil, aut parum
reformandum restet? Nusquam profecto. Fa-
tendum igitur nobis est, eum querelis suis de
corrupto & reformationis indigo Academiaram
statu immortuum esse.

Abutantur hac confessione aduersarii; faci-
ent id quidem suo damno; clament alii; par-
tibus alioquin nostris addicti, talia, eo quod
nobis sint dedecori, tegenda silentio quouis
modo esse; nos ita medio tutissimi incedere
nobis videmur, si diuinum, quod beati viri
ministerio debemus, beneficium grati exoscu-
lemur, quidquid autem mali & foris & do-
mi remansit, id ingenue agnoscamus, &
in eo sanando Lutheri vestigiis insistere studea-
mus.

Viam hanc, bonis omaibus probatissimam
statim post fata Lutheri praclaro exemplo di-
scipulus illius, si quis alius, genuinus ac tan-
dem

dem in patria eiusdem Superintendens meritis
simus, *Enasmus Sarcerius*, commonstravit. O-
ctauo quippe ab obitu illius anno viam & ad-
minicula veram religionem promouendi o-
stendere, corruptelas apud omnium ordinum
homines in Ecclesia residuas sine fuce, vt fer-
uum Dei decet, indicare, disciplinam Ecclesia-
sticam & speciatim Scholarum & Academiarum
repurgationem maxime necessariam scriptis pu-
blicis vrgere cepit.

Sub initium deinde Seculi decimi septimi
Joannes Arndius, quem *Jo. Gerbardus* pa-
trem in Christo vocavit, suo alios exemplo
excitavit, qui magno numero zelum eius lau-
de dignissimum ante & post ipsius mortem i-
mitati sunt. Beatum autem virum Reformati-
onem Academiarum non minus, quam reli-
quam emendationem Ecclesiae spectasse, vel so-
la illa aurea libri tertii de vero Christianismo
praefatio contestatur. Caeterum inter imitato-
res eius nunc praereliquis forte *Joannes Va-
lentinus Andree* commemorandus est, quia is
quamplurimis exiguae quidem molis, sed ma-
gni iudicii scriptis, id maxime omnium pro
virili egisse videtur, vt rem academicam refor-
maret, seu potius, vt, Ecclesiae totius in meli-
us mutandae fundamenta in Academiis iacien-
da esse, orationem literatum conuinceret. Nec
immerito hoc ipso tempore, quo secundum a-
gimus annum Jubilaeum, opportune mone-
mur,

mur, illum his centum abhinc annis, nimirum anno decimo septimo seculi superioris, suum, quem vocavit, *Menippum* in lucem emisisse. Quum enim omnia quidem isto in tractatu ad publicam morum emendationem retulerit, tum id singulare in eo habet, quod, respectu haud dubie habito ad annum Jubilæum, dialogo peculiari de *Reformatione* egerit, in eoque vanum ac inane, quod multi præ se ferant, reformati studium exagitauerit, tandemque false addiderit, *mundum nunquam esse deterio- rem, quam cum correctionem & penitentiam simul, eamque illi legem impositam esse, ut noctuarum exemplo tanto cæcutiat profundius, quanto lumen circumiens habeat copiosius.* Quæ verba sane in eum sensum accipienda non sunt, quasi reprehendere ipsum reformationis negotium a Luthero susceptum, aut eius continuationem ab aliis, quantum id eorum tulit conditio, tentatam, suppressum ire voluerit. Istam enim viri sententiam haud fuisse, e reliquis eius scriptis abundantissime liquet. Eorum autem carpendam duxit vanitatem, qui ad hoc negotium minus idonei, & virtute ad illud requisita diuinitus minus instructi, sed similes essent illis, quos liber primus Maccabæorum Is- raëlem seruare voluisse commemorat, *qui ta- men ii non erant, quorum opera salus Israeli daretur, da sie doch nicht die Leute waren, denen Gott verliehen hatte, daß Israel durch*

durch sie geholfen würde. Præterea peruersam mundi indolem, quæ sui sanationem nullam admittit, quamlibet diuino reformandi studio ea tentetur, ita voluit pro merito castigare. Id quod sane a Lutheri mente alienum non est. Is ipse enim, paucis ante obitum annis, non absimilem decantauit cantilenam, dum, vt alia loca nunc taceamus, in epistola ad aliquem amicorum ita scripsit: *Die Welt ist Welt / ist Welt gewesen / und bleibet Welt / weiß nichts / und will nichts wissen von Christo. So gehe sie denn hin in ihren Wegen, daß wir / und Christus auch / nichts von ihr wissen.* Et post aliqua interiecta: *Wir müssen doch singen mit jenen Jeremiâ im 51. Wir haben Babel geheilet / und ist nicht heil worden. Wir wollen sie fahren lassen.* Eundem in sensum Theologus optimus antea laudatus suum de Reformatione dialogum ita finiuit: *Vale reformatio, nec enim te his terris vnquam videbimus.* Licet autem tam falsè nonnunquam & acriter mundi contra sui reformationem nitentis, redarguerit peruersitatem & contumaciam; nihilo tamen remissius tractandum, nedum deserendum opus Domini censuit. Quin potius in *Ciue*, quem inscripsit, *Christiano*, ita maxime serio suam expressit mentem: *Proponamus bona, suadeamus bona, vrgeamus bona, inculcemus bona, profiteamur bona,*

bona, exprimamus bona, si nullo omnino usu, saltem vt animas nostras liberemus, atque per nos non stetisse, quod Eccl^{sie} mala inualuerint, bona fide subsequutura Christianitati probemus. Pari ratione huic coæui Theologi & conquesti sunt de mundo, nulla in re magis indocili discipulo, quam vbi de vera & solida sui emendatione agitur, & ipsi interea haud cessarunt id, quod suarum in hoc genere partium esset, studio indefesso peragere. Inter hos multum debetur Joanni Sauberto; & huic non immerito Joannem Schmidium, Argentoratensem Theologum, addo, quem propter æqualem zelum ipse Joannes Valentinus Andreae in dedicatione aliqua cum Sauberto composuit. Neque Joannem Mattheum Meyfartum hic silentio præterire fas est; quippe qui librum peculiarem de Reformatione Academiarum edidit, in quo has barbariei summæ, non quæ in vitiosa oratione, sed quæ in moribus Academicorum, Doctorum discipulorumque, perversissimis consisteret, palam inculcavit, & quod mireris, centuriam fere rationum in medium protulit, quamobrem Academiæ, nostræ sane, quæ Evangelicæ audiunt, reformandæ sint. Huc BALTHASARIS MEISNERI consilium Theologicum de defectibus in Ecclesia tollendis, PAVLI ROEBERI orationes de impedimentis pietatis; EJVSDEM Dissertationem de vita Evangelicorum emendatione maxime necessaria,

saria, JOANNIS QVISTORPII *Pia desideria*, THEOPHILI GROSGBAVERI *Vocem Vigilum emissam e Zione desolata*, THEOPHILI SPIZELII *Felicem & Infelicem Literatum*, reliqua, (otiosum enim foret cuncta huc pertinentia scripta recensere) licebit referre. Tantam nimirum nubem testium antecedentium habuit B. SPENERVS, quum & ipse suis, in quibus iam diu fuerat, *piis desideris* in lucem publicam prodiret. Id quod tanta benedictione diuina ab ipso factum est, vt non modo AHASVERVM FRITSCHIVM, ICTUM, REVSNERVM, KORTHOLTVM, Theologos, aliosque complures, qui obdormierunt, haberet suffragantes; sed etiam multi, qui vsque adhuc supersunt, eandem causam ab illo tempore animo eo maiori agerent, quin etiam alacriter, licet impari successu, ipsi operi manum admouerent, & cum salutaribus consiliis praesens auxilium, gratia Dei suffulti, viriliter ac fidelissime coniungerent. Agmen vero Scriptorum huius generis celebriorum superiori anno clausit, seu potius lampada aliis tradidit DN. JO. GERHARDVS MEVSCHENIVS, Illustrissimi Comitum Hanouiensis a concionibus aulicis primariis. Atque sic in hunc vsque annum numquam defuerunt, qui testarentur, Academias ingenti Reformatione opus habere.

Meum iam est, *Auditores*, necessitate Reformationis Academicarum breuiter exposita, & testimoniis vberius confirmata, eius etiam

Quali-

Qualitatem paucis explicare.

Talis a bonis omnibus ac prudentibus viris ceu necessaria exposcitur *emendatio Academicarum*, quam comitetur *Scholarum & Gymnasiorum*, in quibus adolescentes ad altiora studia preparari solent, *meliozem in statum transformatio*. Quodsi enim hinc in Academias iuvenes mittantur, ætatem quidem habentes, at fundamentis linguarum & scientiarum non satis imbuti, omni vero pietatis sensu vacui, immo vitiis ac sceleribus onusti, quid obsecro egregii præstare academici doctores talibus in discipulis erudiendis poterunt?

Talis proinde quoque Academicarum reformatio videtur necessaria esse, qua singularis cura impendatur, *preparandis ad functiones scholasticas studiosis*, vt hoc pacto Academicæ ipsæ, quarum maxime interest, florere scholas, iis emendandis præcipuam opem ferant. Ita enim doctores academici ex eorum, quos scholis dederint, aut commendauerint præceptores, disciplina aptiores studiis sublimioribus accipient auditores, adde meliores, in quibus ad vsum publicum accommodandis non amplius tot superanda sint obstacula & impedimenta.

Talis porro omnium, qui bonam mentem amant, votis exoptatur & necessaria ducitur Academicarum repurgatio, qua omni studio procuretur, vt *Professores* haud alii constituentur, nisi qui *præter eruditionem solidam & donum docendi, ingenue pietatis* habeant testimonium,

ne *prauo exemplo* plus iuuentuti noceant, quam doctrina profint. Iuuenes enim nullam ad rem sunt procliuios, quam vt eorum, quorum ex ore pendent, imitentur mores, immo animum induant. Vnde quod *Bernhardus* olim ad Eugenium Papam scripsit: *Da meliores pastores, & habebis meliores oues*; non inepte, citra tamen vllius iniuriam, Academiarum nutritoribus pro diuersitate circumstantiarum facile posset aptari. Absit tamen, vt *discipulorum* peccata in vniuersum *magistris* adscribamus. Id vero nemo nouum arbitretur, quod vitam inculpatam singulis in Professoribus requiramus. Neque enim ignorari debet, vim legis publicæ apud nos ab initio habere, vt *vnusquisque Professorum omnem impendat operam, ne sola doctrina puritate* (ad quam alioquin eodem statutorum publicorum vinculo obligamur) *nitatur, sed & vite integritate morumque grauitate ac honestate exemplo possit esse illis, qui studiis hic operantur, nec scandalum præbeat auditoribus, aut alia ratione Ordinis Professorio dedecori sit, sed hoc agat sedulo, vt sincerus DEI cultus morumque probitas & verbis & factis promoneatur.* Isthuc nobis hic præscriptum est, sine dubio etiam alibi aliis. Pariter ab omnibus *Christiana Religioni & honestati contrariis opinionibus iussi sumus nobis temperare, & spartam nobis commissam ita ornare, quo Deo ac Regi iustas commissi muneris rationes reddere possimus.* Verum non satis est talia bene nobis aliisque præcepta esse; vt præceptis recte obtem-

temperetur, principem curam esse oportet. Quid? quod non male forte dixerimus, hoc vnicum medendis Academiarum morbis sufficere, si non alii præponantur Studiosis, nisi tales, *quorum illi doctrina doctiores, vita meliores* reddantur. Valent instituta, leges, consilia, monita, quantum possunt; at mortua sunt illa omnia, nisi vitam ex Deo, quam Scriptura vocat, habeant illi, quibus ea committuntur.

Hinc *talem* etiam optauerimus Academiarum reformationem, qua ipsi Professores, sine vlllo ad priuatum commodum respectu, sat multos bona mente ac dotibus naturæ præditos eosque siue pauperes siue diuites ex Auditorum suorum numero seligant, in quos præcipuam infumant curam, quosque vt felicioris profectus discipulos Academicis laboribus præparent & adsuefaciant, quo numquam desint, quos tuto & secundum conscientiam commendent, quoties *novus Professor* adsciscendus, immo etiam quoties ad complures alias *grauioris momenti functiones* aliquis opera ipsorum *promouendus* fuerit. Hac enim ratione quasi duplicem præstituri essent Deo ac magistratui in munere sibi demandato fidelitatem. Primo enim per omnem vitam verbis & factis ætatem præsentem ipsi iuarent, deinde prospicerent etiam, quantum in ipsis, posteritati, atque in discipulis, quibus scientiæ ac sapientiæ commisissent thesauros, post fata quasi superstites essent futuri. Sic foret, vt non tantum emendarentur Academia, sed etiam in flore, quem

quem semel nactæ essent, in annos venientes conseruarentur. Ita sine magno apparatu *seminaria sua* in sinu quasi fouere possent *Academias*, quorum fructus ipsæ quidem primæ non immerito in sui conseruationem perciperent, aliis tamen eos non denegarent. Intellexerunt sane maiores nostri, quantum commodi Statui Politico Ordinique Ecclesiastico e bene institutis *seminariis* sit expectandum. Ea enim in celebrioribus *Academiis* ab earum nutritoribus publice fundata cernuntur. Neque silendum existimo, *Meyfartum*, quem de emendatione *Academiarum* amplius scripssisse diximus præ reliquis, quæ subministrat, consiliis hoc ipsum de *seminariis* instituendis monitum potissimum vrgere.

Interim *talem* non optamus *Academiarum* reformationem, qua Professores diligant auditores tantum suos selectiores, reliquos negligant; sed *talem*, qua studiosi omnes atque singuli a Professoribus *non aliter ac filii a parentibus* amentur. Vt enim hi nihil in votis habent, nisi vt liberi sui sint frugi, & si animum ad studia excolenda adiecerint, e scholis atque *Academiis* tales euadant, qui vsibus siue civilibus siue ecclesiasticis sint accommodi: ita fidelis doctoris est, ea benevolentia studiosos complecti, eamque curam in illis ad frugem perducendis, erudiendis, excitandis, cohortandis adhibere, vt honestis ac piis parentum votis quam plenissime satisfiat. Vltro isthuc facient, qui non, *quæ sua ipsorum*, sed *quæ Christi Jesu sunt*, ex animo consecretantur.

Hinc

Hinc *talis* etiam a nobis quaritur Academi-
arum reformatio, qua vnique studiosorum
via ac ratio studiorum exacte præscribatur, id-
que non semel tantum fiat, sed toties iteretur,
quoties nouis quilibet consiliis ac monitis ha-
buerit opus. Tam euidentis hoc est necessita-
tis, vt quemuis facile intelligere putem, tanto
bono non posse studiosos sine certissima multi
temporis iactura carere. Ecquis enim via, quam
tenere debet, prorsus expers, eam tamen recte &
ingreditur & persequitur, nisi quispiam dux via
fuerit?

Cogitandum vero est etiam atque etiam, pa-
trum non esse tantum, filios blandis erudire ac
raonere verbis, sed immorigeros quoque *disci-
plina grauioris subsidio* in ordinem reuocare.

Talis igitur a nobis omni iure ac merito re-
formatio Academiarum exposcitur, quæ *disci-
plinam* Academiis, si vlla vnquam fuit, *restituatur*,
si ab initio ad hunc vsque diem laxior, quam
Academiarum salus postulat, illa fuit, vel tan-
dem auspice Deo, qui Regum ac Principum cor-
da, quo vult, inflectit, *meliozem adferat*. Licentia
effrenata iuuentuti ansam haud dubie præcipu-
am dedit, magis atque magis in deterius ruendi.
Hinc eheu! quantum tenebræ a sole fulgido,
tantum hodie *vita Studiosorum* (non omnium
quidem, scio, at plurimorum tamen) distat a *vi-
ta Jesu Christi*. Quid verbis opus, vbi res ipsa in-
propatulo est? Interim in tam epidemica & v-
bique grassante studiosorum corruptione, quæ

nec *ipsis sacris*, iisque publicis, parcat, sed iis impudentissime insultat & illudit, (quod sine acridolore referre nequeo) nisi quis publicam tranquillitatem violauerit, aliisque apertis sceleribus & criminibus se alligauerit, de disciplina altum est silentium. Non negauerim quidem, ingentis beneficii loco habendum esse, quod delicta grauiora carcere, relegatione priuata publicaue, immo infamia, si criminis id ferat grauitas, puniantur. Neque, dum disciplinam vrgeo, pœnas iis, quæ vſitatæ sunt, grauiores in delinquentes decernendas esse existimo. In pœnarum enim, quas publicæ leges minantur, grauitate nihil desidero; faciat modo omnibus in Academiis magistratus, quod sui est, in illis, vbi opus est, accurate exsequendis, officii, ne corruptio indices maiora capiat incrementa, &, quos sua nondum perdidit peruersitas, eos Patrum Academicorum perdat indulgentia.

Verum tamen quam plurima superſunt, quæ non debebant, ſolent tamen impune fieri. Spem autem impunitatis maximam eſſe illecebram peccandi, ne profanæ quidem gentes ignorarunt. Quis otii ſui foediſſimi & peccatis variis contaminati cogitur rationem reddere? Vbi in ebriitates, in comeſſationes, in ſtultiloquia, in ſcurrilitates, in obſcœnitates & alia plura eius generis vitia animaduertitur? Id autem præcipue hic monendum cenſeo, antequam eo deueniatur, vt diſciplina opus ſit, & in publicum erumpens malitia pœnarum frenis ac repagulis coërceatur,
fieri

fieri multa posse, immo debere, quibus iuuenes genio suo indulgentes in ordinem redigantur, & mentem induant meliorem. *Patrum Academia* erat omnium atque singulorum, non modo, quod antea monuimus, exemplo vitæ integerrimæ (sine eo enim quid verbis nudis inerit ponderis?) studiosis omnibus præluere, sed etiam, quouis dato tempore eos ad animæ suæ curam non minus, quam ad diligentiam in studiis adhibendam *excitare*, venerationem erga Deum ac verbum eius sanctissimum *eis instillare*, paternoq; affectu *viam ostendere*, quæ ineunda sit, si debitam curriculum sui academici metam attingere, & illo ætatis suæ flore verum ponere fundamentum cum prosperitatis temporalis, tum salutis æternæ cupiant. Præterea qui fieri potest, vt iuuentus academica non corrumpatur, si omnibus in angulis *occasiones & instrumenta luxuriæ* tolerentur, nec *corruptoribus iuuentutis* auctoritate publica resistatur? Quis non intelligit, si suaues ad sanio-rem vitam admonitiones non deessent, deessent autem peccandi, saltem quatenus remoueri possunt, occasiones, non tantum excessus complures eorumq; pœnas anteuerti, sed etiam plurimorum iuuenum animas Christo lucrifera fieri posse.

Et hæc demum solida foret Academiæ reformatio, ac Deo accepta.

Cæterum, quia sermonis filum abrumpere proposita breuitas mox iubebit, ne prorsus taceam reliqua, quæ ad vberius explicandam mentem meam pertinere mihi visa sunt, exponam paucis

ca, quæ, præter hætenus indicata, in Academiis desiderantur. Quo pacto quiuis facile intelliget plenius, qualis earum emendatio mihi necessaria videatur.

Deest in Academiis illa *verbi diuini singularis æstimatio ac veneratio*, tractatione illius seria, assidua viuidaque, obsequio item fidei & omni viuendi ratione comprobata: qualem Lutherus monitis grauissimis, vbi de reformatione Academiarum egit, ante omnia requisit.

Deest *amor ille feruidus Jesu Christi*, e viua eius agnitione promanans, & non tantum omnes *thesauros sapientiæ ac notitiæ absconditos in Christo* quærens, sed etiam *rationationes omnemque sublimitatem, quæ sese extollit aduersus Dei cognitionem, euertens, & in captiuitatem redigens omnem cogitationem, ad obediendum Christo.*

Deest *Concordia*, qualem esse inter membra eiusdem corporis conuenit, qua ad commune bonum omnium animi conspirent, de rebus academicis in melius mutandis omnes ardore pari deliberent, mature deliberata executioni alacriter committant. Sacrum illud *charitatis vinculum*, quo Academiæ vniuersæ inter se coniunctissimæ debebant, nimium quantum deest; vnde fit, vt, quod bene, immo optime dicitur, scribitur, agitur alia in Academia, id sapius in alia male condemnetur, & vt hæreseos, saltem schismatis suspitione ii onerentur, qui nullam Euangelicæ doctrinæ mutationem aut corruptionem, sed eius
potius

potius *incorruptam propositionem*, sui que & aliorum ex illius principiis *emendationem* meditantur, & pro ratione muneris strenue omnibus inculcant.

Idem *Spiritus Jesu Christi* omnes Euangelicarum Academiarum Professores animare debebat, vt, quia *Vniuersitates* audiunt, ad vniuersi mundi emolumentum temporale procurandum ac salutem æternam promouendam vnanimi studio concurrerent. Sed Spiritus ille Christi deest; hinc, hinc illa *insania circa questiones ac pugnas de verbis*, ex quibus nascitur *inuidia, lis, maledicentia, suspiciones mala, peruersæ exercitationes hominum mente corruptorum*, & qui *priuati sunt veritate, & questui habent pietatem*. Eamne solam? minime, sed omnem viuendi rationem, & ipsam, quam publice sustinent, prouinciam.

Nemini iniuriam facio. Sint, quod vtique opinor & spero, singulis in Academiis docentes discipulosque, quibus nec verbi diuini, nec ipsius Christi amor ingenuus desit, quos animus ad concordiam fraternam pronus nequaquam deficiat, quibus Spiritus Christi, salutem hominum cordi habens, & non nisi cœlestia spirans, abiudicari nequeat. Ast, quemadmodum

Vex non vna dies, non vna reducit hirundo;
ita tara pauca exempla non faciunt reformationem Academiarum; o vtinam saltem eius nobis essent prænuncia!

Proferrem plura, *Auditores*, quæ ad argumentum meum spectant, sed oportet me tandem vela orationis contrahere.

Su-

Supereſt autem vt votis ac precibus ad Deum accedam. Eum igitur rogo, vt, quæ bona noſtræ conſeſſit Academia, ea benigne conſeruet augeatque, quæ deſunt, largiatur; quæ autem nos ſtipant mala, auferat, bonisque clementer compenſet, ſaltem in ſuorum veram vtilitatem, quod promiſit, conuertat, tandemque Spiritu ſuo id in nobis efficiat, vt vnusquisque *de ſui reformatione* plus plusque ſit ſollicitus, quo ſic typum veræ Deoq; acceptæ reformationis academicæ reliquis Academicis præbeamus, &, vt fas eſt, eas ad æmulationem, ſine ambitione, prouocemus.

Seruet Supremum Numen ante omnia *Auguſtiſſimum ac Potentiſſimum Regem, FRIDERICVM WILHELMVM*, Nutritorem huius Academiae longe clementiſſimum, vna cum *Regia Domo*, vt, Eo quam diutiſſime imperante, tranquillam ac quietam vitam cum omni pietate ac honeſtate agamus.

Seruet *Magniſcentiſſimum Academiae Rectorem*, Sereniſſimum nempe Principem ac Dominum, *CAROLVM*, Regalis Domus Principem, Marchionem Brandenburgicum, ſeruet, inquam, *illum* in ſpem lætiſſimam *Auguſtiſſimæ Domus Regiæ*, ſoſpitem ſemper atque incolumem, omnibusque Principe dignis virtutibus, orbi in exemplar, eum exornet.

Seruet *Illuſtriſſimos Academiae Curatores*, ac nobis eos conſeruet, quo eorum conſiliis auxiliisq; res academica porro ex voto perfruatur.

Seruet perpetuo in flore *Illuſtre Regimen Mag-*
de

deburgicum, eiusque *Præsidem Illustrissimum*, ut, licet præsentia illius tam splendidi Collegii Academia non amplius gaudeat, non minus tamen absens pro re nata sit ei præsto & opituletur.

Atque, ut nunc de iis loquor, qui suo Academiam fauore complectuntur, Deum enixe rogo, ut Vos quoque, *Nobilissimi huius urbis Consules ac Senatores*, Deus seruet, protegat, ac pro tot, hoc ipso anno Academiae exhibitis, beneuoli animi significationibus, quas non possum, quin hic publice prædicem, ea, quæ Vobis, quæ Vrbi salutaris sit, prosperitate impertiat.

Ad Vos me iam conuerto, *Collegæ Honoratissimi*. Vestro fauori, Vestrae humanitati, Vestris ab exquisita ratione profectis consiliis, promptissimoque Vestro ad assistendum mihi animo, debitas hac in panegyri nunc dedita opera omnibusque audientibus repeto gratias, quas vltimo in conuentu nostro iam ex animo egi. Seruet Vos Deus, præmiaque, Vestro illo fauore digna, clementissime Vobis rependat. Votorum meorum, quæ coram Deo pro Vobis omnibus atque singulis effundo, hæc summa est, ut Deus *sit in Vobis*, & *habitet in Vobis*, & *inambulet*, quo in Vobis omnibus tanquam Academiae Patribus, exemplar habeat iuuentus, in quod non sine eximio fructu oculos defigat, quodque tanta vtilitate imitetur, quanto studio doctrinam ex ore vestro percipere & apud animum custodire satagit. Neque enim possum rebus nostris bene ominari, nisi communis ille fuerit nobis omnibus scopus, eoque omnem

mnem commissæ spartæ rationem referamus, vt, quod viuimus, viuamus Deo, & proinde in commodis iuuenum quærendis conscientiæ semper maiorem, quam scientiæ in eam transfundendæ curam habeamus. Hoc autem si fiat, neque personas Vestras, neque rem nostram academicam ipsæ inferorum portæ vnquam superabunt.

Tandem Vos etiam, *Juvenes dilectissimi*, dum officio Pro-Rectoratus valedico, votis prosequor, quæ concipere animo possum, ardentissimis, Deumque enixissime precor, vt suo vnumquemque vestrum donet Spiritu, sine quo, qui in terris viuit, mortuum est coram Deo cadauer, sine quo mortua quasi sunt, quamlibet speciosa, studia vestra, sine quo res vestræ omnes vanæ, fluxæ, caducæ, & vt hoc iterato dicam, mortuæ sunt, nec si florere maxime videantur, vel Deo placere & probari, vel in flore perseuerare poterunt. Bene autem ac prospere vobis succedent omnia, si ea princeps vobis cura fuerit, vt *viua Spiritus Sancti officina existatis*. Tum demum erit quilibet *sicut arbor plantata ad riuos aquarum, quæ fructum suum edit in tempore suo, & cuius folium non decidit. Tum, quidquid facietis, prosperum erit. Non ita improbi sunt, sed sicut gluma, quam dispellit ventus*. Hoc, hoc tanquam vltimum, quod Pro-Rector vobis dico, verbum animis vestris teneatis.

Jam ad Te, Vir Excellentissime atque Consul-tissime, *Ioannes Petre Ludewig*, I. V. Doctor, Regiminis, quod est in Ducatu Magdeburgico, ac Curia Regalis-Consiliarie grauissime, Iurium ac

Histo-

Historiarum Professor Ordinarie, Collega longe honoratissime, ad Te, inquam, me conuertere iubeor. Etenim ex lege, auctoritate suprema & publice constituta, vnanimibus Collegarum votis vltimo in Concilio electus es, qui in eo, quo ego per gratiam Dei nunc perfunctus sum, Pro-Rectoris munere mihi ex ordine succederes. Jam ergo, cum etiam de Regio consensu, Electionem nostram confirmante, certi simus, mearum erit partium, vt insignia Pro-Rectoratus, sceptræ scilicet, sigilla, statuta, & quæ sunt reliqua, isthac in cathedra Tibi tradam, si antea mentem tuam, an subire arduum hoc munus illudque haud recusare velis, publice exposueris: quod vt facias, humanissime Te rogo. Quod itaque Deus Academiae Fridericianæ bene ac feliciter euenire iubeat, designate Pro-Rector Magnifice, vt Pro-Rectoratus in Te plenissime transferatur, atque insignia, quæ dixi, tibi tradantur, hanc quæso cathedram conscende.

Salue Pro-Rector Academiae Magnifice. Eum enim Te solenniter nunc proclamo, ac simul omnibus publice declaro, Tibi iam Magistratum in Academia gerenti debitos huic dignitati deferendos esse honores, officia præstanda, obsequium exhibendum.

Accipe nunc Academiae nostræ, quæ vides, insignia. Primum est *Pileus*, non modo libertatis, sed etiam ipsius, quem iam obis, magistratus insigne. Monuit nos gentium Apostolus, ibi esse libertatem, vbi Spiritus est Domini. Vide igitur

gitur, vt hoc Spiritu indutus libertatem, rem in se omnibus amabilem, magistratus auctoritate ita modereris, ne illa in licentiam, qua omnes facile deteriores euadunt, vnquam degeneret.

En *Pallium!* Conspicuum hoc præ multis aliis est eminentioris dignitatis insigne. At cogites id, quod iam alias expertus es, sub splendido hoc pallio curas latere innumeras, quas, si quis in externum eius splendorem oculos coniciat, haud ei subesse credat. Quisquis autem illud non priuati, sed publici commodi gratia in humeros suos receptum gestauerit, experientia mox comprobatum habebit, tanti id esse oneris, vt ei ferendo par non sit, nisi qui curas omnes in Deum coniciere probe didicerit.

En etiam *duo Sceptra*, quibus Academiam gloriosissimus Conditor clementissime impertire dignatus est, non frustra sane, sed vt quilibet Academiae Pro-Rector intelligeret, duplicem sibi collatam esse potestatem, alteram, qua indigne ab aliis tractatos, oppressos ac variis modis afflictos erigat, suffulciat, adiuuet, sustentet; alteram, qua male feriatorum petulantiam ac proterue aliis insultantem turbulentorum ingeniorum prauitatem coërceat. Vtroque Tu sceptro alacriter & sine personarum respectu, vt ere, auxilio diuino fretus. Gaudio Tibi esto innocentiae patrocinari, quotquot ad Te aduersis rebus confugiunt, serena fronte excipere, omnibus, qui bonam causam habent, opitulari. Interim fac, vt alterum sceptrum persentiscant homines profani & impii,
qui

qui se salutaribus submittere legibus & dicto audientes esse nolunt. Ita Te amabunt boni; mali oderint, dum metuant.

En *duo Academie Sigilla*. Hæc Tibi iam traduntur, vt intelligas, Tuæ fidei iam omnia, quæ ad Academiam pertinent, committi. Maiori in obsequiendis publicis, minori in priuatis rebus expediendis vteris. Tuæ iam erit prudentiæ, providere, ne quid horum alterutro signetur, quod in detrimentum Academiæ cedat.

En porro *Codicem Legum ac Statutorum*. Hunc ego Tibi securius in manus trado, quo accuratius, ceu Juris Consultus, ipse nosti, quam sancte leges ac statuta publica sint custodienda, & quam exigua pars sit publicæ felicitatis, bonas leges habere, nisi procuretur etiam, vt bene constitutus pareatur.


En *Album* quoque *Ciuum Academicorum*. In posterum enim ad Te accedent, qui ciuitati academice adscribendi sunt. Ita nomina, patria, genus studiorum aliæque circumstantiæ illorum Tibi innotescunt: quæ res, si quæ alia, maxime Tibi est necessaria, Teque monet, vt dum nouitis ciuibus leges cum generales, tum speciales in manus tradis, animis simul præcepta aliquot salutaria ingeras, quibus ad venerationem erga Deum & sanctissimum eius verbum, pariterque ad fugiendum prauum sodalitiū & diligentiam in studiis adhibendam incitentur.

En *Clauis* denique. Hæ Tibi eo conferentur, vt, quantum in Te est, bonis & industriis fores reclu-

recludas, præcludas autem malis; aut hos, si irreperint, & libertate recte vti detrectauerint, ad carcerem ableges, ne in malam rem prouant; sin ne sic quidem resipiscant, profus Academica ciuitate excludas, ne coetum corrumpant reliquum.

Atque sic, Magnifice Pro-Rector, cuncta, quæ habemus, Academiae insignia, Tibi iam tradita esse fecias. Gratulor nunc Academiae, munus Pro-Rectoris in eum esse translatum, qui iam antea in illo administrando fuit exercitatus. Qui enim vsum rerum & experientiam maiorem habet, dexteritate etiam maiori præditus merito censetur. Tibi autem voueo, vt sub auspiciū Tui Pro-Rectoratus Deus Tibi, labores publicos aggredienti, præsto sit; in progressu Te secundet, virtute sua adiuuet, patientiæ dono corroboret; sub exitum robur animi corporisque nouum Tibi copiose suppeditet, & quod caput rei est, sua benedictione in perpetuum Academiae emolumentum Pro-Rectoratum tuum coronet. Ita bene sit Tibi; bene Academiae Fridericianæ; bene vrbi Hallensi, quæ illam gremio suo complectitur, ac per eam *ciuitas iusta & vrbs fidelis* effici gratia Dei, nisi huic resistat, poterit; bene Ecclesiae, huius Academiae fructus demetenti spiriuales; bene orbi, cui ea bene consulere studet.

Rescindantur a ciuitate Jehova omnes, qui operum dant iniquitati. Bene autem set omnibus, qui ab illis se expurgauerint, vt sint vasa in Dei gloriam, & cum Domino habitent in aeternum.



Hb. 2935

ULB Halle

003 854 736


3




SR

A. C.







ORATIO IVBILAEA
DE
**REFORMA-
TIONE ACA-
DEMIARVM**
EVANGELIO DIGNA,
PER
B. D. MART. LVTHERVVM
COEPTA ET POSTERIS COMMEN-
DATA:
QVAM
IPSO ANNO ECCLESIAE EVANGE-
LICAE IVBILAEQ,
NIMIRVM MDCCXVII, DIE XII. IVL.
CVM ANNVVM ACADEMIAE FRIDE-
RICIANAE REGIMEN
SVCCessori ESSET TRADITVRVS,
IN SOLENNI PANEGYRI
HABVIT,
ET NVNC LVCI PVBLICAE EXPOSVIT
AVGVSTVS HERMAN. FRANCKIVS,
S. THEOL. PROFESS. ORDIN. PAST. VLRICIANVS ET
GYMNASII SCHOLARCHA.

HALAE MAGDEBVRGICAE,
IMPENSIS ORPHANOTROPHEL. MDCCXXI.